


Disquisitio Theologica De Negotio Salutis Circa Infantes

Herbornæ: Typis Joannis Nicolai Andreae, [1703?]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn862997909>


Druck Freier  Zugang





94

Fa-1092 (94.)



9

A
S
II

Q. D. B. V.

Disquisitio Theologica
DE
NEGOTIO SALUTIS
CIRCA INFANTES,

QUAM
Ἐάν ὁ Θεὸς θελήσῃ καὶ ζήσῃ
PRÆSIDE

JOHANNE CHRISTIANO
KIRCHMEJERO,

SS. THEOL. DOCT. EJUSDEMQUE PROFESS.
ORD. ET ECCLESIAE PASTORE.

FRATRE SVO OPTIMO.

IN
ACADEMIA HERBORNENSI,
PVBlico EXAMINI

A. D. XII. MART. clō 15 cōIII.

SUBMITTIT

JOHANN GABRIEL KIRCHMEJER,
Allendorffensis ad Sal. Hassus.



HERBORNÆ, TYPIS JOANNIS NICOLAI
ANDRÆÆ.

VIRIS
MAXIME REVERENDO ERUDITIONIS, PRUDENTIÆ
AC PIETATIS FAMA CELEBERRIMO
DN. JOHANNI HENRICO
CAULIO,

*Theologo Summo, Serenissimi Hassia Landgravii Pa-
stori Aulico Facundissimo, atque Consiliario Eccle-
siastico Gravissimo:*

Nec non
Venerando & pie Doctissimo

DN. JOHAN. CHRISTIANO
KIRCHMEJERO,

*Ecclesia qua Christo Orpheroda colligitur Pastori Fi-
delissimo,*

ILLI PATRONO
HUIC PARENTI

*Omni reverentiã & pietate ad cineres usque
colendis*

Hanc disquisitionem Theologicam
sacram faciunt

Præses & Respondens
fratres.



Disquisitio
De Negotio Salutis circa in-
fantes.

I.



Ravis est oratio Christi quando de mo-
do conferendi & recipiendi salutem
ita inquit, *ὅς εἰν μὴ θέξῃ τὴν βασιλείαν τοῦ Θεοῦ ὡς*
παιδίων, εἰ μὴ ἰσραηλῆϊ ἐκ αὐτῆν Luc. 18. 17. Si-
quidem quemadmodum eum in finem
ut agnoscamus, nos quicquid sumus,
ex Deo esse in Christo JESU, ne gloriatur
ulla caro, sed qui gloriari vult, gloriatur in Domino, Sapientia
divina quæ sunt infirma mundi elegit, quo pudefaciat validos
& ea quæ non sunt, quæ aboleat quæ sunt. 1. Cor. 1. 27. 31. Divi-
tes dimittit inanes & famelicos implet bonis, Luc. 1. 53. Super-
bis & qui meriti & virium opinione turgent, resistit, hu-
milibus autem & impotentiam carnis deplorantibus facit
gratiam; ita hanc suam libertatem, potentiam robur, & ad-
mirabilem gratiam in negotio salutis circa infantes quàm ma-
xime commonstrat.

In salute in-
fantum Deus
ostendit glo-
riam.

II. Sunt enim infantes *βρέφη ἀρτιγέννητα* 1. Pet. 2. 2.
qui ut fandi facultatem atque sermonis, sic etiam rationis,
cujus ille index est, usum nondum habent, adeoque nec
dextrum norunt nec sinistrum, nec proprie aliquid boni
aut mali facere possunt, Rom. 9. 11. quare humilitatis, in-
nocen-

Sunt enim
impotentes.

A

nocen-

nocentia & simplicitatis exemplum sunt, Matth. 19. 13. 14. 15. Marc. 10. 13. Luc. 18. 6. Idque à prima mentis cum corpore unione usque dum ad annos discretionis excreverint; quod quum sensim fiat & pro ratione diversarum tum corporis tum animi qualitatum citius vel tardius, *infantia* statum cum Ictis ad certum annorum numerum non adstringimus, sed tamdiu *infantes* esse h. l. volumus, quamdiu institutionis sunt incapaces, & nihil adhucdum (1) distinctè percipere aut solide capere, neque (2) cum ratione judicare, minùs (3) ex certa determinatione, ad certum finem, secundum justam normam h. e. *rationaliter*, aliquid agere valent.

Et peccato-
res.

III. Interim autem peccato infecti & (1) corrupti sunt, caro ex carne Joan. 3. 5. in peccatis concepti Ps. 51. 7. quorum figmentum cordis malum esse à pueritia Genes. 8. 21. varii affectuum motus & peccati semina in primula ætate produnt, unde & (2) sub *reatu* hærent, quod *mors*. Rom. 5. 14. & 6. & Dei in illos *ira* Ephes. 2. 3. atque *odium* Rom. 9. 13. manifestum faciunt.

Salvantur ta-
men.

IV. Nihilominus tamen in hoc statu ex vita decedentes per Christum salvari posse & quosdam saltem actu salvari, & misericordia Dei & gratia Christi ut credamus suadent, quod S. S. passim, licet de iis, utpote data adultis, parce loquatur, probat, dum Davidem ex filioli salute sese consolantem introducit, illosq; in fœdere complectitur Act. 2. & signa Fœderis concedit, & R. C. illis addicit Luc. 18. & in æterno decreto amatos, Rom. 9. & à Christo gratiosissime cum ardentissima benedictione susceptos memorat, Luc. 18. Marc. 10. 16.

Per meritum
Christi.

V. Neque in re ipsa difficultas est; quum enim Deus Electis salutem & omnia media salutis conferat per modum *Testamenti*, quo ex libero beneplacito, sine ulla in
pec-

peccatore, unum ab altero separante, prærequisita qualitate beneficia Christi illis legaverit; Et quum Christus sua satisfactione jus sibi acquisiverit sibi datis conferendi vitam æternam; Nihil obstat, quo minus Pater vi Testamenti & Filius suo jure beatos reddat infantes æq; quàm adultos, siquidem in his non major ad salutem recipiendam est dispositio, quàm in illis.

VI. Quoniam autem Sapiencia Divina, illud negotium salutis ita dispensare voluit, ut quædam beneficia *justitiam* scilicet & *sanctitatem* ab Electis in hac vita postulet tanq. salutis conditiones; Etiam ipsis infantibus meritum Christi ad *justificationem* quâ reatus, & *sanctificationem* quâ corruptio tollatur, in hac vitâ imputari certissime concludimus, quod etiam ut olim circumcisionis, sic hodiè pædobaptismi fundamentum est, & per hos ipsos ritus significatur & obsignatur. vid. *Calv. instit. l. 4. c. 16.*

Quod in hac vita ipsis applicatur.

VII. Sed *quomodo* hoc fiat occasione vel hujus ipsius pædobaptismi varie quæsitum est & disputatum, aliis gratiam Spir. S. tenellis istis infantulis plane denegantibus, & hinc à sacramento etiam & signo eos excludentibus, aliis eam externo signo ejusq; efficacix alligantibus, aliis eam liberam agnoscentibus, omnibus autem *quid* ea sit disputantibus, dum ex Lutheranis plurimi *fidem actualem* illis adscribunt, ex Reformatis autem *habitualem*, qui tamen ita inter se conveniunt ut tota controversia magis in phrasibus ambiguitate, quàm in re ipsa consistat, uti celeberr. *Fabritius in Disquis. de fide infantulorum* collatione virorum utriusque professionis doctissimorum ex professo probat. Neque inter nostros per omnia hac in re convenit, tum ratione *temporis*, quando nonnulli regenerationem diversis temporum articulis dispensari putant, aliquando ante, aliquando in, aliquando post baptismum; alii eam baptismo

Quomodo autem

præstruant; alii in futuram regenerationem infantes baptizari docent, quòd in præfenti e jus non sint capaces; multi denique in ipso baptisimi actu & momento regenerationem ordinariè à Deo conferri pugnant, vid. Ven. *Vvissum* de effic. bapt. §. 23. tum & ratione *modi* quo fiat, quando alii semen fidei, alii habitum, alii fidem ipsis tribuunt, alii nihil hîc definiendum esse putant, inter quos *Altingius*, *Beza*, *Zwvinglius*, *Arctius*, vid. *Fabrit.* l. c.

VIII. Quandoquidem autem *gratia* supponit *naturam*, & *tò bene* intelligere ipsum *intelligere*, *tò bene* velle ipsum *velle*, neque ille verum intelligere aut bonum appetere potest, qui intelligere & velle non potest, ut *Spanhem. Dub. Evang.* p. 3. Dub. 27. §. 12. loquitur, nihil in abstracta & obscura hac quæstione proficere poterimus, nisi prius quæ infantum sit *conditio*, quæque *facultatum operationumque eorum ratio* prius inquisiverimus, quod quoniam idem operandi *modus* in statu *gratiæ*, qui in statu *naturæ*, commodissime fiet, si primò ad statum *naturalem*, dein *moralem*, tum in statu instituto primævæ integritatis, tum destituito s. peccati attendamus: in quibus omnibus, quia quales in infantia fuerimus non meminimus, novimus autem illos ab adultis non *essentiâ* sed *gradu* tantùm, non *facultatum*, sed *usûs* earum ratione differre, ad nos ipsos oculos reflectere atque quid de illis, illorumq; actibus, tum etiam negotio salutis circa illos judicandum, ex nobis ipsis existimare debemus.

Quis modus
operandi in
adultis.

IX. Quod si nunc in nos ipsos convertamus vultum, & ad varias actiones agendique modum tum nostrum tum aliorum attendamus, facileprehendimus facultates nostras sensim per varium exercitium perfici, atque à dispositione corporis quàm maxime dependere; Scilicet facultatem habemus res varias cognoscendi & digno-

gnoscendi, quando certis occasionibus ad objecta cogitanda *excitamus*, illis per veram attentionem *inheremus*, ea inter se *conferimus*, menti altum *imprimimus*, atque re ita ferente *recordamur*: sentimus etiam in nobis vim nos *determinandi* circa res cognitatas, sive dijudicandas, sive eligendas, idque rationali modo ad certum finem, secundum normam, ex certo principio, quando videlicet quod ut *bonum* agnovimus aut *praesensimus*, desideramus, quærimus, omnia illud adipiscendi media adhibemus: At vero in hisce demum exercitatiores reddimur per varium rerum usum & experientiam, quâ & acuitur & facilius redditur tum intelligendi tum volendi facultas, adeò ut nihil fere extra nos cogitare soleamus, nisi prius excitemur, nil expedite cognoscere, nisi per varias actiones habitum acquisiverimus, nihil desiderare quod non quodammodo *praesensimus*, aut sine difficultate acquirere, nisi in eo genere nos exercuerimus: Pendent autem omnes hæc actiones & habitus tum à mentis *inclinatione*, tum à *corpore* ejusque dispositione varia, tum quatenus per sensus excitamur, tum quatenus per certum cerebri motum intellectus ad hoc vel illud cogitandum aut illi *inherendum* determinatur, & voluntas motibus corporis affecta ad aliquid eligendum, ardentiusque quærendum incitatur, unde pro diversa dispositione corporis non tantum in nobis ipsis, sed & in diversis hominibus insignem observamus differentiam, dum alii sunt obtusioris, alii perspicacioris ingenii, alii bono aut malo objecto minus, alii magis afficiuntur, prout nempe Spiritus animales minus aut magis copiosi sunt & subtiles: itidemq; alii in hoc rerum genere perspicaces sunt & facile afficiuntur, alii in alio, prout motus spirituum secundum certum modum aut viam

determinatus est : quorum illud ab organorum dispositione, hoc ab usu & exercitio pendet.

Quis in infantibus.

X. Unde facile quid de infantibus, eorumque agendi ratione censendum sit, patet, *nam velut* (verbis autor Lucretii) *infirmo pueri teneroque vagantur Corpore. sui animi sequitur sententia mentis*: Et Mens quidem dum ex platis manibus exit, tanquam Spiritus, sed rationalis ad gloriam DEI conditus & legi subiectus, *sui* conscia est, aliarumque rerum impressas gerit ideas, & libertate & operandi principio, quod est propensio in bonum, prædita est; nondum tamen *actu* vel aliquid extra se cognoscit, vel ad aliquid agendum sese determinat, donec exciteretur & afficiatur; *Corpus* autem prout non nisi successive formatur in utero, ita non nisi per gradus firmitudinem ac robur consequitur, hinc licet in lucem non edatur, donec quæ ad essentiam corporis organici pertinent membra habeat, adeò tamen debile illud conspicimus & infirmum in omnibus membris, ut nullum adhuc dum officium suum facere queat, imprimis organa sensuum externorum ac internorum nondum ita sunt disposita, ut extrinsece oblata recipere, aut intrinsicè Spiritus animales satis copiosos aut subtiles suppeditare possint, & si qui sint, nondum tamen ad motum aut cursum convenientem sunt dispositi aut determinati, adeò ut corpus nondum sit satis aptum functionibus mentis exequendis instrumentum, ut pote quod neque extrinsecus percepta animo satis clare sistere, aut animales Spiritus, eorumque motus quales ad inhærendum rerum ideis, vel ad inquirendum in earum naturas, vel ad iudicandum, ratiocinandum, res memoriâ tenendas, mentem afficiendam, requiruntur, conferre potest; unde anima isto in statu sui ipsius tantùm conscia esse, præterea autem nihil

hil nisi corporis, quos sentit, motus percipere videtur, donec magis consolidentur & disponantur organa, quomodo deprehendimus ad alia magis & magis attendere infantes, illis inhærere, ea imprimere, ruminari, iudicium ferre, alia curare, usque dum variis exercitationibus confirmetur iudicium, in quibus omnibus facultates naturales per naturale illud desiderium boni stimulantur, per usum autem experientiam & institutionem juvantur.

XI. Atque hæc omnium quotquot nascuntur ^{In statu integritatis,} infantes eadem in quocunque statu conditio est; *Moralis* autem bonitas aut malitia à diversa mentis inclinatione & motuum corporis determinatione oritur: ita in statu primæ *integritatis* infantes non in ista statim perfectione graduum prodiissent in qua primi homines, æque ac arbores, plantæ & segetes, quasi adulti creati, sed quemadmodum secundum leges naturæ plantæ ex suis porro seminibus, sic homines nati quidem fuissent *integri*, at convenienter statui infantili, ex quo sensim adolevissent: probat hoc exemplum Servatoris, qui in illa perfectione saltem morali fuit natus, in qua omnes ex homine integro nascituri fuissent, non tamen pleno statim prodiit rationis iudicio, sed prout *ἡλικία* sic & *σοφία* *αὐτοῦ* Luc. 2.52. Ad eandem rationem mentem Deus creasset nondum habitibus suis instructam, corpus autem ex parentibus prodiisset *infantile*, hoc est & exiguum & organis nondum satis robustis aut ad munia aptis, quare etiam ut probabile est, in illo statu res extra se nondum distincte cognovisset aut S. B. distinctè quævisset, neque sensibus statim perfecte uti potuisset; Verùm quoniam in statu integritatis natus fuisset, uti habuisset semina & principia agendi, sic & eadem habuisset *bene* agendi;

di; *Intellectus* enim rerum divinarum ideas non gessisset tantum, sed ita presentes, ut ad quamvis occasionem facillimè sese exeruissent, *Voluntas* ceu qualitate naturali instructa fuisset *propensione* non in bonum tantum, sed in verum S. B. in Deo quærendum: *Corpus* autem & sanum fuisset, quodd brevi ad justam staturam & ad res gerendas aptitudinem excrevisset, temperamento præterea æquabili motibus neque pravis, neque justo vehementioribus corrupto, organis etiam uti integris sic optime dispositis præditum; Unde etiam istiusmodi infans & citius & facilius rationis iudicio usus, Deum resque divinas actu cognovisset, ejusque virtutes amâisset, & sic cum annis in cognitione & amore S. B. profecisset: Siquidem quoniam ille Spiritus nullis adhuc præjudiciis involutus, aut quoad modum cognoscendi per imaginationis vim corruptus, nullisque petulantibus carnis motibus in transversum raptus, absque dubio statim, quantum per organa corporis licuisset, ad se reflexisset, sui que cognitioni inhærens, Dei in sese, plenus Deo, vestigia sensisset, atque hinc suam indigentiam, inde Dei sufficientiam contemplatus, hunc amare, quærere & in eo deliciari debuisset: Hoc porrò animo imbutus infans & institutione parentum, & in mundum emissus præceptoribus mutis quâlibet, quæ Deum docet, herbâ, variaque rerum & eventuum experientiâ juvari potuisset, ita enim quicquid vidisset, audivisset, sensisset, illam de DEO notitiam excitasset, confirmâisset, auxisset; in omnibus autem dum deprehendisset quàm suavem esset Dominus, illi in propensione ista latentis amoris divini igniculi excitari, confirmari, acui potuissent; porrò quicquid forte circa Deum, proximum, seipsum aut res alias agendum occasio tulisset, aut necessitas jussisset, hoc totum ex illo *principio*, quo omnes fa-
cul

cultates mentes & corporis regi debuissent, provenis-
set.

XII. Post lapsum autem non physicè imperfe- In statu la-
psus.
ctus modò, sed & moraliter *corruptus* nascitur infans, ut
S. S. testatur & experientia, dum videmus omnes homi-
nes postquam primum peccatum in mundum introit pec-
catores esse ab utero, quod vitium tum in corpore hæret
tum in anima; Et *corpus* q. ex corrupto parentum corpo-
re nanciscuntur (α) debile & infirmum, variis morborum
generibus obnoxium, cujus organa non nisi longiori mo-
râ ad munia obeunda apta evadere possunt, quin & (β)
pravis motibus corruptum, in ejus temperamento semi-
na motuum quibus parentes aguntur, latent, imò (γ)
actu sese quidam motus statui integritatis contrarii exe-
runt, qui vel ex infirmitate vel defectu quodam aut abun-
dantia sanguinis oriuntur, & famem aut sitim vehemen-
tiùs stimulant, aut suavi & tristi sensu vividiùs afficiunt:
Neque tamen hi motus, utpote adhuc dum imbecilliores,
mentem *imagine Dei instructam*, & quidem sine exceptio-
ne *omnem*, ita subjicere possent, nisi & illa imperfecta crea-
retur & corrupta; in quo autem illa corruptio consistat
ex conditione infantili judicandum, scilicet non opus est
dicamus Deum mentem creare *actu* peccantem, neque
tamen in ea perfectione creari, in qua creata fuisset in sta-
tu integritatis, dici debet, ita ergo ponamus: creat Deus
justissimus Judex *mentem* corpori ex parentibus pecca-
toribus corrupto destinatam talem, quæ *propensione* illa in-
verum S. B. tanq. positivâ qualitate inhærentè destituta,
interim cujus *intellectus* facultate cognoscendi rerumque
adedò ideis præditus, *Voluntas* autem amore sui atque suæ
perfectionis desiderio, tanq. agendi principio, instructa
est: Quare si hæc mens nuda, fracta, imbecillis suam
B tan-

tantum acquiescentiam quærens corpori isti jungatur corrupto, primò quidem tum ex languore quodam animi, tum organorum vitio, usus facultatum multò redditur *difficilior*, dein autem & ipsæ facultates pravis qualitatibus corrumpuntur: Siquidem dum conditioni suæ, unde vel sui vel Dei vel S. B. in Deo quærendi cognitionem acquireret, inhærere non potest, interim autem motibus corporis, quos quia vehementiores sunt, eò vividius sentit, affecta, de iis, quæ eorum occasione primùm obijciuntur objectis cogitat, ad eò ut primæ forte cogitationes sint doloris, famis, sitis, &c. exque adhuc confusæ & indistinctæ; unde (a) statim ex sensu suavitatis in rebus corporeis *propensio* mentis, quæ in Bonum fertur, ad *bona corporea determinatur*, & sic qualitatem sibi contrahit cujus vi in rebus terrenis acquiescit, idq; pro corporis dispositione & inclinatione diversimode. 1. Joh. 2. 16. hinc porro (b) & ipsa primò omnium res *corporeas* cognoscens, & ab illo principio acta (a) nihil fere cognoscit nisi terrena, caduca, vana, & (b) hinc sibi habitum contrahit res omnes, etiam Spirituales *modo tali corporeo* concipiendi, atque (c) in nullis sese majori molimine & voluptate exercet, quàm iis, quæ propensioni isti congruunt: *Voluntas* autem (1) ad *judicandum* proclivis & iustis tamen requisitis destituta, iudicium aut præcipitat, aut secundum confusos & corporeos conceptus instituit, aut concupiscentiam sequitur, & ita in varios incidit errores; in *eligendo* deinceps (2) bono, eoque quærendo *ἐν φρονήματι & σιμνήσει* quod corporis constitutioni magis aptum est, æstimat, desiderat, quærit, in quibus omnibus affectus vehementiores & sentit, & *ex iis* agit: Hæc corruptio statim sese prodit, quamprimùm ferè infans aurâ fruitur in vanis desideriis, oblectamentis, lachrymis, risu, & affectuum variorum rudimentis.

31.
30.
33.
34.
35.

tis. Succrescentibus autem annis & organis sensim magis confirmatis, nihil cognoscere studet, nisi quod principio huic conforme, corporeum, carnale, quicquid audit, videt, vel quocunque modo apprehendit, hoc modo cogitandi corporeo per imaginationem concipit, atque ex sensu carnali dijudicat omnia, quicquid vanum, peccaminosum, pravum ex hominum conversione animadvertit, facilius addiscit, firmiter sibi imprimit & promptius imitatur; Ex eodem porro principio quicquid operatur, agit, quicquid concupiscentiam satiare potest *expedite*, quicquid eam non afficit vel *oscitanter* tractat, vel plane *omittit*, illi quicquid repugnare videtur odio habet & plane repudiat: Conveniunt ergo infantes cum adultis quod & mentem gerant & corpus ejusdem plane essentiae & naturae, eademque habeant facultates, differentia autem est ratione usus: conveniunt itidem omnes infantes in eo, quod anima *propensione* ceu qualitate inhaerente sit praedita, corpus autem ad certos motus sit dispositum, unde porro per exercitium varium facultatum usum consequuntur, differunt autem ratione status moralis in eo, quod *boni* propensione in verum bonum, *mali* in bonum apparens ferantur, illorum corpus ad motus bonos, horum ad malos sit dispositum.

XIII. Hanc porro naturam sequitur gratia, quae negotium salutis in quovis convenienter dispositioni naturali perficere solet: Hinc quoniam in adultis haec agendi ratio obtinet, ut voluntas sese determinet demum circa objectum distinctè intellectu cognitum, idque ex intuitu boni quod ad agendum incitare solet, Deus illud opus salutis, quod per modum *Testamenti* illis legaverat, per modum *Fæderis* proponit, dum alia beneficia ut *bonum* promittit, alia tanq. *officium* ab homine postulat, atque

Quæ Spiritus
S. operatio in
adultis.

iptas illas salutis condiciones in homine operatur modo *rationali*, ut primò desiderium excitet, dein studium, atq; iterum prius notitiâ imbuat, dein amorem infundat, & desiderium stimulet: *Etenim quia adulti præditi sunt iudicio & ratione, donum illis declarari & offerri voluit ut annuerent vel abnuerent, & ut annuentibus reapse id communicat, sic abnuentibus reapse dari non vult meritissime, quia eo indignos sese ipsos iudicant Act. 13. qui non annuit, eo ipso quod non annuit, abnuit & respuit donum, cum enim admissio doni consistat in fide, nequit quisq; ratione præditus & vigilans & animo excitatus & attentus cui τὸ δωρεὴ offertur illud non amplecti, quin eadem operâ repudiare illud censeatur: Thes. salm. de pædob. §. 17. Neque aliter fieri potest, Christus in salvando vivere & omnes facultates occupare debet, quomodo autem occupabit intellectum jam distincte aliquid cognoscentem, nisi cognoscatur, quomodo voluntatem, jam aliquid actu amantem, nisi ametur; Hæc natura mentis est, ut aliquid cogitet, amet, & ex certo principio ad certum finem agat, nisi itaque bonum quod in Christo est, cognoscat & amet & ex vero principio ad verum finem aliquid operetur, id quod carnale est cognoscat & amabit, & ex vano principio ad vanum finem operabitur, non enim datur tertium, Rom. 6. 19. neque ex malo principio & fine id quod Deo placet procedere potest Rom. 14. 23.*

In iustificatione.

XIV. Atque hanc rationem Sapiencia Dei in duobus illis gratiæ beneficiis *iustificatione & sanctificatione*, ad quæ reliqua facile referri possunt, applicandis, sequitur. Et *iustificatio* quidem licet tanq. sententia iudicis quâ peccatoribus propter meritum Christi peccata remittuntur & jus ad vitam adscribitur, Dei actus sit circa & extra nos, supponit tamen *communione* quam habeamus cum illo Christi merito, adeò ut, quemadmodum ab una parte
Chri-

Christus factus est ἐν ὁμοιώματι σαρκὸς ἀμαρτίας Rom. 8. 3 ita ab altera parte peccator fiat συμμορφώμενος τῷ θανάτῳ αὐτοῦ Phil. 3. 14. quæ κενωσις ἢ παθημάτων in adulto, ex determinato consilio cum delectatione peccante, esse non potest, nisi peccati turpitudinem ejusque meritum agnoscat, deploret, in Christo justitiam Dei demonstratam veneretur, recipiat, & ita in Christo reperiri desideret, quæ ipsa fides actualis est & justificans. Phil. 3. 9. 10.

XV. *Sanctificatio* autem, quia actus Dei est *in nobis*, In sanctificatione. quo tum anima tum corpus à corruptione liberatur I. Thef. 5. 23. & novus homo ad imaginem Dei restituitur Eph. 4. utique convenienter facultatibus & modo operandi in nobis perficitur, adeoque quemadmodum peccatores adulti secundum φρόνημα σαρκὸς rationali judicio utuntur intellectu & voluntate, idque prout ipsis objectum aliquod obicitur, aut ipsi motibus corporis aguntur, ita Spiritus S. (1) qualitatem inhaerentem *propensionem* pravam mutat, cor novum, φρόνημα πνεύματος, ἐπιότιται τῆ ἀληθείας creat. Psal. 51. Rom. 8. Eph. 4. dein (2) *facultates* secundum hoc principium dirigit (α) tum *immediate* quando nobis aliud quasi agentibus sanctas cogitationes, piosque motus in nobis excitat, tum (β) *mediate*, quando verbum nobis offert, atque *intellectum* in legendo, audiendo, meditando juvat & dirigit, *voluntatem* autem per varias hortationes, comminationes, promissiones excitat: Sed & *corpus* sanctificat ut membra ejus fiant membra justitiæ. Rom. 6. idque (1) vel *immediate* motus pervertos sedando, vel (2) *mediate*, sive (a) per actiones mentis in corpus, dum nempe illa hujus motibus resistit, sive (b) per jejunia, afflictiones, persecutiones, morbos & denique mortem, quibus motus illi pravi debilitantur, infirmantur, extinguuntur. Quæ omnia ita dispositionem hominis sequuntur, ut pro variis donis

nis & qualitatibus naturalibus, etiam varia sint dona illa Spiritus S. quare videmus unum in spiritualibus esse perspicaciorum, alium fervidiorem & sic porro.

Non tamen eadem in infantibus.

XVI. Ex quibus nunc facile colligere datur, quo modo hæc beneficia *infantibus* conferantur; Scilicet in quantum cum adultis conveniunt, in tantum etiam justificandi & sanctificandi modus convenit, in quantum autem ab illis discrepant, in tantum & hic modus divinæ operationis circa illos & in illis discrepat: Adeoque quoniam ob organorum imperfectionem nihil adhuc extrase distincte percipiunt, aut extrinsecus recipiunt, aut rationaliter dijudicant, aut eligunt; certum est Spiritum S. in illis, quamdiu & quantum in illo statu hærent, saltem ordinariò nullam operari *distinctam* causarum salutis *notitiam*, aut *amorem*, aut *fidem actualem*, & quæ similia rationis usum supponunt & adultioribus propria sunt: Interim tamen nolumus dicere cum *Amyraldo disp. de pædob. §. 21. & 22.* ad *justificationem* sufficere quod ex iis nati sint, ad quos fœdus Dei pertinet, *sanctificationem* autem neque *habitualem* neque *actualem* necessariam esse; quod si enim ingentiam sibi corruptionem ex matris utero tecum afferant, eâ repurgatos esse oportet, antequam in Regnum Dei admittantur, quo nihil ingreditur pollutum aut inquinatum; si peccatores nascuntur quomodo & D. & P. affirmant, aut Deo ingrati invisique manent, aut justificentur necesse est, & quid ultra quærimus? quum palàm ipse iudex affirmet, nullis in vitam cœlestem patere ingressum nisi renatis, inquit *Calv. inst. l. 4. c. 16. §. 17.*

Interim positiva est.

XVII. Quoniam autem in eo cum adultis conveniunt, quòd sint sub *reatu*, & corruptione *positiva* infecti, certum est, illis non tantum gratiam justificationis competere, sed & Spiritum S. ad tollendam corruptionem *positiva*

31.
30.

tive in illis operari debere, quare etiam *VValenus Beza*, qui in colloq. *Mompelg*: existimat, fidem parentum infantibus imputari, & propter hanc tantum inter fideles censer, refutat, ipse autem arbitratur semen seu Spiritum fidei ipsis inesse, ex quo deinde per auditum verbi paulatim actualis fides formetur, & tamen hunc Spiritum fidei sine omni actu esse non arbitratur, quia Spiritus otiosus non est, quod inde colligit quod *Johannem B. & Jeremiam* in utero exiluisse videamus, etsi sine notitia & sensu ejus quod fecit, *L. C. de Bapt. p. m. 957.* Et *Spanhem. D. E. p. 3. Dub. 27. §. 12.* probat capaces eos esse Principii & radicis fidei, tum quod capaces sint principii ratiocinationis, tum quod infantibus ex *Adamo* integro nascituris principium & radix assentiendi omni verbo Dei inhaesisset ab utero, aque ac nunc radix peccati in infantibus latet; & §. 13. dicit. Sanctificantis gratia infantes *κατά τὴν* capaces esse, non quoad sensum & cognitionem beneficii, nec quoad ejus actus & effectus presentes, sed tamen quoad imaginis Divina impressionem in anima illorum, que se exerit cum tempore: id quod *Ven. Witius* exponit per principium vite spiritualis in infante, per quod in eo statu collocatur, ut quum ratione sua utetur, accedente excitatione & influxu Divini Spiritus aptus natus inveniatur eas edere actiones, que Deo gratæ sunt, de *Effic. bapt §. 25.*

XVIII. Sed quid sit aut esse possit positiva hæc Spir. S. operatio ex iis, quæ de conditione eorum, quam supra exposuimus diximus constabit: Et quidem ut justificentur, requiritur in ipsis *ἀνεργία* meriti & satisfactionis Christi; quam quomodo habere queant exposito difficile non est, ab una enim parte Sponsor æque eorum reatum in æterna Spontione suscipere & pro eo per mortem satisfacere potuit, quam adultorum; ab altera autem parte & illi *συμμορφούμενοι τῷ θανάτῳ* per Spir. S. operationem fieri possunt, non quidem quatenus actu & positive peccata

In justificatione.

agno-

agnoscant, doleant, & ad Christum confugiant, quod in ipsis nondum ex positiva determinatione & rationali lubentia peccantibus, non requiritur, sed simpliciter quatenus vetus homo in ipsis occiditur, & illud quicquid in ipsis peccati dominium infert, emoritur; quales dum sunt, in iudicio Dei censentur *actu* Christo insiti, & hinc in ipso iusti, licet ipsi sensum lætitiæ & pacis Spiritualis nondum sentiant.

In f a n t i f i c a t i o n e .

XIX. Quomodo autem hæc ipsa mortificatio atq; ita simul originaria sanctitas locum habeat in infantibus, cum *Spanhemio* non magis esse ἀκατάληπτον, quàm quomodo sanctitas olim in infantibus Adami integri, & nunc corruptio in lapsis concipi queat, putamus. Adeoque cum supra ostenderit in integris *propensionem* animi fuisse bonam, in lapsis esse malam, in illis *corpus* bene dispositum, in his variis motibus corruptum, utique concludimus Spiritum S. in infantibus ita operari (1) ut nativam illam qualitatem corruptam, propensionem nempe in rescaducas tanq. S. B. concupiscendas, ceu φερόνημα σαρκός immutet, atque *cor novum* qualitatem bonam, propensionem in Deum tanq. S. B. amandum φρόνημα πνεύματος infundat, quod non minus in infantibus quam adultis fieri potest, siquidem & hi eandem operationem Spir. S. nequidem sentiunt, sed ratione ejus sese mere passive habent: Dein (2) etiam ad corpus pertingit hæc Spir. S. operatio, dum motus ejus vel vehementiores compescit, vel inordinatos corrigit, atque sic inserit animis quandam εὐφροσύνην, atque in iis virtutum igniculos, qui postmodum evadunt in præstantes virtutes, accendit, quod *Amyraldus* benè ex emendatione corporis temperamenti deducit, licet exinde male concludat ad Spir. sanctificantis operationem hoc non pertinere, sed futuræ sanctificationis tantùm θεοποίησιν esse

esse; clarum hoc fit exemplo Johannis B. imprimis autem Christi, cujus corpus ex corpore corrupto desumptum Sp. S. virtute plenissime fuit perpurgatum; quod etiam non minus in infantibus electis suo modo fieri potest, idque vel immediate per Sp. S. potentiam, vel mediatae per varias infirmitates, morbos, similesque casus, atque sic (3) impedit ne mentis facultates ulterius, dum intellectus corporeis nimium assuescat, aut voluntas terrenis inesceret, corrumpantur, contra autem id agit ut ad spiritualia magis & magis adaptentur; quo etiam (4) varias suggerit occasiones & objecta, in conversatione, educatione, institutione quibus disponuntur & excitantur; unde (5) vel in primula aetate varia sanctificatae indolis indicia in affectibus & externis motibus sese produnt, quin & (6) p. d. pios aliqui *Numinis verendi sensus* fovent; imprimis autem (7) quando crescentibus paulatim annis supra corpus cogitationibus suis ascendere apti sunt, ea quae pia sunt & honesta meditantur, lubentes audiunt, facilius percipiunt, memoria servant, & quandoque ludendo imitantur, quin & videmus non semel in teneris puerulis pietatis & devotionis igniculos scintillare in sanctis desideriis, ardentibus precationibus & eximia conscientiae, nihil quod Deo displicere edocta est facere audentis, teneritudine, sollicitudine & metu; corporis (8) itidem temperamentum temperatum produnt affectus vel sedati vel saltem haud adeo inordinati, ex quo denique (9) maturioris iudicii facti sensim sine sensu in cognitione & amore Dei, omnique virtutum cultu dirigente Sp. S. proficiunt: quae omnia ex sanctificata & voluntatis *propensione* & corporis *dispositione* oriuntur, & hinc pro varia temperamenti ratione, & Sp. S. mensura varie succedere solent.

XX. Neque enim illic ad statum pristinae integritatis restituantur, remanent variae peccati reliquiae, defectus Quomodo in
his qui adol-
scent. physici & morales, corpus mortis & concupiscentiarum semina,

C

mina,

mina, non nisi successively tollenda; Neque in omnibus licet *electis* infantibus eadem sese exerit Spiritus S. virtus: illorum enim, quibus *prolixiorē vitam* indulgit Divina providentia, *quidam* hanc Spiritus sanctificantis operationem *parcius* sentiunt, unde adultiores facti in varia præjudicia, errores peccata rapiuntur, imò quandoque deceptricis illecebræ carnis tenuia ista pietatis initia tantum non suffocant, donec in languidum pectus insinuante se immensa divinæ gratiæ efficacia e profundo quasi sopore evigilent & pœnitentiam agant: *quidam* autem hâc regenerationis gratiâ in infantia ne donantur quidem, qui vel extra Fœdus nati, vel inter eos, inter quos Fœdus Dei viget quidem viventes, sed peccato, diabolo, mundo mancipati, in adulta demum ætate convertuntur: Nos interim omnes in fœdere natos iudicio charitatis ex parentum fide, desiderio, precibus *sanctos* iudicare debemus, donec contrarium factis ostendant. 1. Cor. 7. 14.

Qui moriuntur,

XXI. Alia ratio est eorum, qui ante usum rationis vitâ excedere jubentur, illi enim & *omnes*, quotquot electi sunt, sanctificantur ab utero, & *largioris gratiæ mensura*, ut indicia produnt, participes fiunt.

Quæ horum sit beatitudo,

XXII. Quare dum *moriuntur* in communione Christi beatitudinem consequuntur. Et *anima* quidem corporis vinculis soluta, ejusque operationibus imperfectis istis organis non amplius alligatis, nunc operante Deo *positive & distincte Deum in Christo cognoscere*, amare & in eo *delicari* potest. Corpus verò in resurrectione ista universali *glorificabitur* & aptum beatis operationibus instrumentum reddetur, urpote ad quas Spiritibus istis animalibus ex alimentis coquendis organa necessaria, Deo abolituro *ventrem* 1. Cor. 6. 13. non requiruntur. Atque sic quoad *substantiam eadem* eorum cum adultis erit perfectio, licet quoad *gradus minor* illa futura videatur; Siquidem illa operum, viarum & virtutum divinarum, tum afflictionum variarum *experimenta*, quæ in hac vita adultis contigerunt, & tum *cognitionem* tum amorem & lætitiæ *sensum* augebunt, in nostris locum non habent: Neque *corpus* in *adultæ staturæ* resuscitabitur, sed, ut videtur, idem illud *pusillum*, quod deposuerunt Job. 19. Ap. 20. 12. recipient: quod quemadmodum ipsorum gloriam non diminuet, ita contrâ æternam gloria gratiæ etiam infantibus factæ argumentum erit Psal. 8. 3. *Faxit DEUS hanc gratiam ita agnoscamus, ut & in nobis sentiamus & sicut infantes* R. C. recipiamus! Amen.

1. Neukaus de Fatis Adami.
2. Holzfus de Homine.
3. Idem de imagine Dei in hoc.
4. Hottinger de auxilio Dei et.
5. Hugonius de Concursu Dei.
6. Caeterius de Providentia Dei.
7. Holzfus de Providentia.
8. Ejusd de Lapsu primorum hominum.
9. Eiusd de Angelis bonis et malis.
10. Tillemannus de Certitudine fidei.
11. Useel de Decalogo.
12. Hareus de tribus scitu necessariis.
13. Ejusd Continuation.
14. Mascovius de curiosa Theologia.
15. Schmidius de Utilitate Reliq. Evangel.
16. Mieg de Gratiae div. p. p. p.
17. Jablonski de indulgentiis.
18. Zulfinger de natura Studii Theolici.
19. Holzfus de Paenitentia.
20. Ejusd de conversione.

penitius de gratuita Justificacoe.
Korheim Trige Observacum.
Korheim de paupertate mentis
Korheim de operarijs in vinea.
Kirchmeier de Baptismo Ignis.
Ketersea de cibo Sabactari.
Kirchmeier de negotio salutis circa infantes.
Kaiser ad Locum Luc: 23.
Lampe de Titulo Evangel: Johannis.
Krusius de aqua baptisimi.
Kreuzerig de Encanis Judaeorum.
Kreuzerig de Lege Moysis per angelos data.
Kreuzerig de Historia Pauli Apostoli.
Kreuzerig de Barnaba, et:
Kreuzerig de Deo succurrante Xto ex mortuis.
~~Kreuzerig~~ Heermannii Analysis Cap: 9. ad Luc.
Kaiser ad Locum ad nos XII. 42.
Lampe de Ecclesia Apostolica.
Kreuzerig de Stella ex Jacob.
Kreuzerig de Benedictione Sacerdotali.
Kreuzerig de Blasphemi mysterio.
Kreuzerig de Libamine in mensa sacra.
Kreuzerig de fertis indumentis.


49. Dif. de Lectione legis solennis.


50. Elonerus ~~de~~ ad Reg: 18.


51. Marck ~~de~~ ad 2 Reg: 8. 10.

52.


Handwritten text at the top of the page, possibly a title or header, which is mostly illegible due to fading and bleed-through. Some words like "M. de la" and "de la" are faintly visible.











...sponsionem Elise, scribit Gaspar Sanctius; atque
...alianus, quid quaso est mentiri, si hoc non est? quid
...rum ad peccandum, si Hazaelem Propbeta non
...endum omnino est, quædam adeo conquisita
...heic reperiri, ut attendentibus nullo modo pla-
...ere queant. Quale quid est, quod ex *Farchio*
...*Lyrannus*, dictum hoc esse de *Chazaele*, vivens
...is post eum; sed quod & ipse monuit esse expo-
...extortiam. Uti revera est, quando hæc verba,
...non dicuntur ab Elisa ad Chazaelem, sed præ-
...da à Chazaele ad Benhadadam per illud præ-
...dic illi &c. Quod si autem volueris, hoc po-
...um dici victurum in suo successore Chazaele,
...acies obscurum & vere ludicrum verborum ho-
...prorsus alienum à rogatione instituta quæ spe-
...ladi ægri personalem vitam ac sanitatem. Quale
...t, quod tertio loco reperio apud *Doct. Marty-*
...de occurrit interpretatio, qua statuitur, *Eliseum*
...ris, veram de aeterna ac beata quam expectamus
...respondisse. Eamque promississe arbitrantur *Vatem*
...fuerit ad verum Deum *Jehovam* ex animo con-
...ea probant, quod non idola consuluerit, sed quem-
...a tradit, ipsum *Jehovam*, deinde ministerio *Viri*
...ad id, non *Pseudoprophetarum*. Uti perinde hoc
...r. *Pellicanus*; *Eliseus* remandat regi, que illum
...consolari, fortassis jam conversum ad veri Dei ti-
...n, quem à *Propbeta* sancto cupit illi propitium fieri.
...tura requirit, non à suis idolis nec *auruspibus*, sed
...us sepe magnalia audierat, & cujus Deum fuerat
...s & à *Naaman* instructus in fide veri Dei. Ideo nunc
...urum, hoc est, in fidelium animarum consortium per-
...im *Propbeta* intelligebat, hoc denique regi summo-
...rat. Tamen ipsi *Asaeli* significat moriturum re-
...ipse locum sit instituentus; non quidem addens,
...arum esset, sed suo tempore. Qui tamen deinde
...asi horum oblicus dicit, per morbum diutius vi-
...ndum *Propbeta* dictum. Adversus istam senten-
...de disputavit *Martyr*; *Ceterum*, non est veri-
B 2 sim